



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Copensteinii, Ordinis Prædicatorum  
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ  
Calvino-Catecheticæ**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Moguntiaë, 1626**

IV. An Sola Fides iustificet?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35247**

3. 4. mutat sic: Sed ita, vt (si quidem rite contritum me mea conscientia non accuset, quod licet aduersus om. Dei man. aliquando grauit. &c. Sed hoc falso dicitur, & implicat. Falso: quia etiam rite contriti reuera sumus confitii peccatorum nostrorum. Implicat contradictionem ista: Fateri, se aliquando peccasse, & grauitur, & aduersus omnia Dei mandata. &c. Item dicere tamen; Nos nostram conscientiam non accusare. Hic idem fateretur, & negat; confitit, & nescit.

RESPONDEO AD I. vt supra hic. AD 2. 3. 4. contriti, sumus peccatorum conscij; sed expiatorum, id est, memores cum spe & gaudio; & non rei: at nondum contriti, sumus eorum conscij; sed in expiatorum, & rei cum pœnitentia ac metu. Quid hic falsum? Doce. Ergo à Ministro istud falso dicitur falsum.

Simile est alterum: Inexpiatum, se peccasse fatentem, accusat conscientia: Expiatum verò, fatentem se peccasse, non amplius accusat conscientia. Hic quæ contradictio? Ministri fictio. Vah! Quoties me pudet tui, quod te nil pudeat, pœniteatue talis & Ministerij, & Magisterij tui: tamque infelicis patrocini pro Caluino catechesei. Ageret in circulum hic te alius; sed cere-nolo girare tuum brum.

III. MINISTER: I. Parochus pro Catechetico hoc: Beneficia vera animi fiducia amplectar, reponit fide ac spe. Quibus negat fidem iust. esse fiduciam: supra q. 21. Simul pro certitudine fidei statuit spei dubitationem: vt sup. quæst. 1.

2. Pro Catechetico; nos iustificari sine vilo nostro merito: reposuit eum aliquo. &c. de quo quæst. 21. sect. 6.

3. Pro Catechetico; quod Christi iustitia. &c. nobis imputetur ac donetur: reponit, permittatur ac donetur eius capaci. Falsum, vt supra quæst. 36.

RESPONDEO AD I. Nego & fidem esse fiduciam; & fidei certitudinem; & Spei dubitationem. Ergo, tu dixisti.

AD II. & III. Rectè feci; sic debui.

#### IV. An SOLA Fides iustificet?

MINISTER: id est, Quid iustificet? SOLA fides in actu. Qualis fides? Vita non mortua, id est, per charitatem cum aliis virtutibus iuncta; non ab eis separata. Itaque, fides sola iustificet; non tamen est so-

la. Proinde manifesta est calumnia & diabolica; quoties Pontificij nos solam & nudam asserere mentiuntur maluntque mentiri & calumniari, quam sibi ipsis credere. &c. En reddo ipsos &c.

PROBO nunc, solam fidem iustificare. Ex scriptura dupliciter.

1. Per Verbum expressum: Gal. 2. Iustificatur homo NON NON NISI per fidem: id est, TANTVM, seu SOLA fide. Quod significat causam necessariam TOTALEM; non duntaxat ALIQUAM; vt Sandæus callide excipit: At Salmeron in Gal. 2. ait; Non nisi? ergo SOLA; admittendum est. Italica versio habet, MA sola per la fedi.

Sic & Pontificij vtuntur phrasi Non nisi: vt Mald. Turrec. Bell. Cost.

Sic & Patres, Aug. Latria NON colimus, NISI vnum DEVM.

Ita Scriptura: Nemo scit, nisi Pater, Mar. 13. Matth. 14. Panes, Mar. 2. prop. NON licebat manducare, NISI Sacerdotibus. Luc. 6 Nisi SOLIS Sacerdotibus.

2. Scriptura docet hominem iustificari TANTVM Fide: Luc. 8. Credo tantum. Quod si istud valere velit Bellarm. l. 1. de Iust. cap. 16. Expressum Verbum profertur, vbi habetur eius negatio, aut synonyma; vt, Iacob. 2. Quia ex operibus iustificatur homo, & NON ex fide TANTVM: planè & hoc valere debet expressum, vbi habetur eius Assertio, aut Synonyma SOLA. Ergo falsum Bell. Nusquam hactenus ostendere potuerunt aduersarij in sacris Literis particulam SOLA, cum de fide iustificante agitur. Nam ecce ostendimus.

3. Scriptura solum duos ostendit modos iustificationis; scilicet, aut ex operibus, aut ex fide. Sed illum ex operibus tollit, negat, refutat: Alterum ex sola fide ponit, affirmat, probat: Vt Rom. 8. Arbitramur, n. iustificari hominè per fidem sine operibus legis. Gal. 2. NON iustificatur homo ex operibus Legis Nisi per fidem, &c. Ibid. Credimus, vt iustificemur ex fide Christi; & non ex operibus Legis. Item Rom. 3. 20. & 11. 6. Opera à iustificatione excluduntur. At Gal. 3. 11. Ioan. 3. 16. 36. iustificatio ex fide separatim asseritur.

4. Consentiant Patres: Origen. Basil. Chrysof. Nazianzen. Ambros. Hieronym. Theod. Hilar. Augustin. Theophyl. Bern. Vide Apolog. contra Sandæum.

5. Ita & Pontificij vt Ferus, Canus, Senensis, Salmeron, Hofmeisterus.

6. Nota fateri hic Parochum, quod ad omne malum sumus propensi; quod quæst. 5. acriter oppugnavit.

RESPONDEO: Aduersarij adeo pœnitentur etiã, quod sola fides in actu iustificationis iustificet: opera in actu iustificationis nihil ad eam conferant. Proinde, (tua recipe verba) manifesta est calumnia & de-

*Porro*, quoties aduersarii Pontificios mentiri dicunt, quod *Solam* & *nudam fidem iustificare* dicamus. At in Actu iustificationis *Solam* iustificare dicitis; extra cum Opera cum fide coniungitis. Ergo. Vide meum *Luthero-caluinistam part. 4. q. 56. 57. 58. 59. Antichristum part. 4. q. 32. & in Antipapista Mendace par. 4. q. 3.* Atque illud est ipsum quod Pontificii de aduersariis dicere eos asserunt: sed refutant. Proinde frustra eos recitat Minister.

AD I. NON NISI quandoque significat **TOTALEM** causam; quandoque **ALIQUAM** seu partem. *Aliquam* significat Gal. 2: vt recte P. Sandæus. Salmeron *Fidem Solam* admittit, sed vt primariam in iustificatione ac fundamentalem; at non negat quin ei debeant opera superædificari.

Sic & Italica Versio intelligenda est.

Apud S. Patres & Pontificios istud *Non nisi* sumitur promiscue, prout res tulerit, imo pro *aliqua*, nunc pro *Totale* causa rei, qua de sermo. Itaque *Non nisi* subinde significat *Tantum totaliter*; subinde *Tantum ex parte*, pro re nata.

Demum in hisce: *Nemo scit, nisi Pater: Non licet. &c. nisi Sacerdotibus*: istud *Non nisi* significat **TOTALEM** causam: quia Lex alia *Exclusit aliam omnem* particularem; vt prohibens Deos alienos coram Deo: prohibens Laicos comedere. At istud, *Non nisi per fidem, &c.* *Includit* in se tacite legem *aliam*, de operibus fidei ac iustitiæ: idcirco non potest *Totalem causam* significare.

AD II. Luc 8. *Crede tantum*, 1. Subaudi, pro initio fundamentali: 2. At, porro etiam *Serua mandata*. 3. Quin hoc ipsum *Credere*, est actus fidei, opusque bonum iustificans per fidem infusam. Proinde stat, perstat illud Iacobi: *Non ex fide tantum*: nihilque euincit Minister.

AD III. Scriptura ostendit duos iustificationis modos; sed iungendos, non separandos: scil. *ET ex fide, ET ex operibus* iunctim; non *AVT, AVT.* &c. separatim. Deinde tollit, negat, refutat *opera Legis Veteris* iræ, non Nouæ gratiæ. Et illa, non hæc excluduntur à iustificatione: Fides autem subinde separatim asseritur, sed vt *Principalis*; non vt *Sola*.

AD IV. Consensus S. Patrùm valet, militatque pro dicta iam distinctione.

AD V. Sic & Pontificij, quos allegat Minister, sunt interpretandi; vt qui *Solam* in hæretico sensu *Fidem* acerrimè impugnarunt; & verò expugnarunt: etsi disiectus coluber adhuc subfultibus micet: & hydræ truncatæ capita recresecant.

AD VI. Fateor, falsusque sum, *Nos natura ad omne malum propensos*: sed non *solum ad malum*: Nam etiam ad Bonum morale. Ergo Apologia est *Sycophanta*: & quidem *Solemniter*.

## AD QVÆST. LXI.

*Cur non SOLA Fide te iustum esse affirmas?*

**CALVINVS** *Inst. l. 3. c. 11. §. 19. & c. 17. §. 10.* fufe doce elaborat; doce: que nihil.

**MINISTER** hic excaluinizata remittit ad superius alibi pertractata. Vnum affirmat Parochus, *Nos dignitate ipsius fidei nostræ placere posse Deo*. Quod nego, quatenus fides confidatur vt est *OPVS Ioan. 6. 29. Aug. lib. de prad. c. 6. Et in Ioan. tract. 25.* Sed quatenus est *Organum* vcl *Manus*, qua beneficia Christi amplectimur. Ergo iustificat nos Sanguis Christi: **MERITORIE**; **FIDES ORGANICE** tantum, & **RELATIVE**.

**RESPONDEO**: istud in secunda editione Excaluinizationis meæ hic non reperio; in prima num habeatur, non memini: ipsius exemplar in præsens non habeo. Esto tamen: scripserim, vt reor: verè scripsi: Ac demonstrem in *Luthero-caluin. par. 4. q. 60. & in Antichristo par. 4. q. 32.* Nego igitur *Organicam* & *Manicam fidem* iustificare *relatiuè tantum*; assero *Operosam* iustificare *Meritorie*, vt *causam* secundam: sanguinem Christi verò *Meritorie* *excellentè*, vt *causam* primam.

## AD QVÆST. LXII.

*Cur nostra bona opera nõ possunt esse iustitia, vel pars aliqua iustitiæ coram Deo?*

**CALVINVS** *Inst. l. 3. c. 14. §. 9. 10. 11.* fufe docere videtur idem, quod hic Catechismus refert: ondet.

CAL-